

2
1785, 24.
6

PROCANCELLARIUS IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D. INST. PROF. ORD. ET COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

CHRISTIANI GOTTLÖB STARCKII

ADV. SAX. IMMATR

A. D. XXXI. MARTII MDCCCLXXXV

PUBLICE CELEBRANDA

INDICIT



PROGENITOR
IUS IUD. ERIN. PATRIMONIA
SOLLEMNIA. INVAZIONE
GRANATIERRIS. CAMPAGNA
CHRISTIANI. GOTTOBO. STALCINI
ET AL. SAK. TIT. 1702.
BAPTIC. CELEBR. VINDA
H. 1702.

164

NUMERO DECOCTORVM PRVDENTIA

LEGISLATORIA MINVENDO

SEV

DE REMEDIIS NONNVLLIS CONTRA FREVENTIAM BONORVM CESSONIS ET CREDITORVM CONCVRSVS.

Cum sine fide florere commercia in ciuitate haud possint, multis autem subinde foro cedentibus fides necessario concidat, non modo expedit, sed etiam necesse est, seueris hanc ipsam sanciri legibus, et ne bonorum cessionis frequentia resp. detrimenti quid capiat, prouideri. Atque ea in re omni fere tempore sapientissimi laborarunt legumlatores, probe gnari, non posse vna in ciuitate multos rem et fortunam amittere, vt non plures secundum in eandem calamitatem trahant, multorumque ciuium calamitatem ab ipsa rep. seiuinetam haud esse solere. Quemadmodum autem generatim meminisse iuuat, quod iam PIERIANDER dixit: Non tantum in eos, qui peccant, animaduertere, sed et illos, qui nocere iam parant, prohibe, et p. SYRVS ait: Res optima est, non exstirpare sceleratos, sed scelera; ita hic quoque praestat, frequentibus bonorum cessionibus obuiam ire, earumque occasiones, quantum datur, praecidere, quam post vulneratam causam remedia quaerere. Postquam igitur nuper (in diss. de cessione bonorum contumeliosa), quid cum romanis, tum patriis legibus super decoctoribus sancitum sit, ostendimus, licebit, spero, nobis

nobis in praesenti cautiones quasdam ea in re obseruandas mediaque nonnulla, quibus bonorum lapsus, his certe temporibus frequentissimi, aliquatenus praecaueri et resp. hac calamitate prohiberi possit, in medium proferre. Exstiterunt nuper, quidem saxum voluerent, duumuiri, Gallus alter, nomine DE LA CROIX, a) alter eques Italus, CAIETANVS FILANGIERIVS, b) quorum uestigia ut ARISTOTELES cogitat, atque ut CICERO scribit. Horum quidem super ea re meditamenta inter se contendam, et quid mihi in vnoquoque eorum aut laudandum, aut reprehendendum videatur, inspersis subinde meis consiliis, edisceram.

Ac primum quidem DE LA CROIX recte monet, ut mercatorum (de his enim praecipue hic quaeritur) obaeratorum numerus minuatur, opus esse, ut illis non modo omnibus ludis, in quibus alea subest, teuere interdicatur, sed leges etiam eiusmodi ludos prohibentes sancte obseruentur, poenaeque ab eorum violatoribus repeatantur, ne dicere quis iure possit:

Vbi nunc lex Titiae? dormis? c)

Quem

a) Vid. *Reflexions philosophiques sur l'origine de la civilisation et sur les moyens de remédier à quelques uns des abus, qu'elle entraîne, (par DE LA CROIX)* à Ansf. 1778. sg. cuius libri versio germanica sub tit. *Philosophische Betrachtungen über den Ursprung der gesellschaftlichen Lebens, zur Verhöfferung der peinlichen Gesetzgebung, aus dem Franz. des Adu. DE LA CROIX, interpretate G. C. K. LINKIO, Norib. prod. 1781.*

b) Vid. *La Scienza della Legislazione del Cavalier GAETANO FILANGIERI*. Edizione prima Veneta diligenterem corretta e ripurgata, Tom. II. in Venezia 1782. qui liber, ab eodem LINKIO in linguam germanicam versus, sub tit. *System der Gesetzgebung, aus dem Italienischen des Ritters CAIETAN FILANGIERI*, prod. Onoldini 1784. Nihil iam dico de reliquis huius libri editionibus et versionibus, de quibus iam monuit Cel. I. C. SIEBENKEES, Professor Altorfinius, in praef. Part. I. praefixa, nec non ipse LINKIVS in praef. ad Part. II.

c) Legis *Titiae* mentio fit in L. 3. D. de *alea*. Conf. I. C. DE PAUW de *alea veterum*, Tr. ad Rh. 1726.

Quemadmodum enim resp. interest, ne quis re sua male vtatur, ita ex aleae studio plerumque mendicitas, ex mendicitate mala mens, malus animus, adeoque proclivitas ad sceleram oritur maxima, ut haud omnino male nonnemo dixerit, tot crimina ex ludo nasci, quot in taxillis puncta conspiciantur. Maxime autem eos alea abstinere aequum est, qui non modo sua, sed aliena etiam vtuntur pecunia, et haud raro de facultatibus suis plus spernant, quam reapte in illis est. Cum aliquot abhinc annis magnus aliquis Princeps ad ludum ineundum inuitaretur, non modo renuisse, sed sapienter etiam dixisse fertur, haud decere principem ludo indulgere, ne infortunio vhus subditorum pecuniam perdat. Ita magnus huius seculi Princeps! Et vos homunciones creditorum vestrorum pecuniam aleae exponere, eorumque periculo vestram experiri fortunam haud dubitatis? Dii meliora mentem! Saepe miseratus sum hominum pauperculorum et praecipue rusticorum fortem, quoties assibus aut fortassis obolis luserant, ideoque in mulctam L. aut plurium thalerorum condemnandi erant, cum interea multi, qui videri volunt diuites, non modo de suis, sed etiam de creditorum suorum opibus impune contendenter. Adeo scilicet hic etiam interdum

Dat veniam coruis, vexat censura columbas. d)

Haud minus eques FILIUS ANGIERIVS contra sollemnem hoc tempore luxum grauissime concionatur, eumque, in mercatoribus certe, legibus sumptuariis coercendum censem, neque id profecto summa sine ratione, propterea quod multi vitam ita instituunt, ut nisi artem viliora metalla in aurum commutandi calleant, ipsorum facultates impensis haud sufficere posse videantur.

*Scilicet hos plenis oblectat scena theatris,
Et multens aures vox modulata sonis,*

A 3

Et

d) IVVENALIS Sat. XI. v. 174.

— Alea turpis,
Turpe et adulterium mediocribus: haec tamen illi
Omnia cum faciant, bilares nitidique vocantur.

6

*Et luxu aurato lustrantes compita currius,
Et, quos commendat spiritus acer, equi.
Coetus amicorum colitur, qui tempora fallat,
Narrans, quid sparitus rumor in urbe ferat.
Alea diligitur, nobisque temperet horas,
Praesertim pluuias, cum iuuat esse domi.
Atque animis nunc hue, et nunc trepidantibus illue,
Fortunae arbitrio diripiuntur opes e)*

Cum autem hominum facultates non modo admodum diversae, sed plerumque etiam aliis ignotae sint, ideoque impensarum modus unicus constitui vix possit recte censem FILIANGIERIVS, poenas luxuriae et profusionis maxime ab iis, qui decoxerunt, suosque creditores turpiter defraudarunt, repetendas esse. Iam nemo, spero, dubitat, quin is, qui auct aleae operam dederit, aut equis phaleratis auratoque curruvi, quam pedibus ire maluerit, aut alienis impensis pellices aluerit, aut bona in ventre considererit pecuniamque prandiorum gurgitibus proluerit, aut tanquam alter Damafippus veteres statuus aliasue res ipsi inutilles emendo insanuerit, aut (vt HORATIVS ait) aedificauerit, diruerit, rotundaque quadratis mutauerit, aut alia ratione sua cum alienis dilapidarit, iam bonis lapsus summo suo merito pro doloso decoctore habendum poenisque seuerissimis coercendus sit.

Cum porro quilibet mercator, seu is propola sit, seu negotiator, libris mercatoris vti f), in iisque nomina rite facere, i. e. accepti et expensi rationem summa fide adnotare g) debeat, iuuaret fane, libris istis statim initio, postquam mercator eos sibi comparauit, in fronte aequa ac fine signum quoddam a iudice aliae persona publica imprimi, simulque folia eorum numeris distingui, qua quidem re non modo mercatori occasio, libris

e) Ita 108. AVR. DE JANUARIO Carm. quae Neapoli 1767. prod. p. 39.

f) De dotibus s. requisitis libror. mercator. vid. I. G. HEINECII diss. de mercatorum, qui foro cesserunt, rationibus ex codicibus, in Opus var. syll. no. 14. §. 19.

g) Vid. PAVL. MANYTII Commentar. in Cic. Ep. ad din. P. I. p. 483.

167

libris suis pro arbitrio vtendi, iisque, si decoixerit, incerta ^{b)}) fal-
saque nomina inscribendi, praecideretur, sed hoc etiam efficere-
tur, vt postea, qua ratione in negotiando versatus, doloque, an
culpa bonis lapsus sit, facile perfici queat. Solent sane plerique
eorum, qui foro cedere parant, operam dare, vt fraudes
suis abscondant, eumque in finem ex libris suis vnam aut alte-
ram plagulam excindere, et in locum priorum rationum falsas
fictasque substituere, quae quidem flagitia omnia praecaueri
nullo negotio possent, si cuiusque mercatoris libri ita, vt dixi-
mus, signarentur. Atque hoc ipsum in Gallia legibus sapienter
sancitum esse, apud scriptorem illum Gallicum, DE LA CROIX,
p. 338. relatum legimus i). Nec ullus mercator necessitati li-
bros suos, quibus nondum aliquid inscriptum est, in iudicio
eum in finem, vt signentur, producendi iusta aliqua ratione se
subducere poterit, maxime si libris productis, aut nullis aut mi-
nutulis tantum sportulis solutis, signa necessaria imprimantur.

FILANGIERIVS quidem duas tantum cessionis bonorum spe-
cies constituit, voluntariae scilicet et necessariae, quarum illa
praeter necessitatem dolo malo eoque animo fit, vt creditores
partem nominum suorum remittant, debitorque hisce fraudu-
bus facultates suas augeat et lucupletior existat, haec contra ab
iis, qui reapse soluendo haud sunt, adeoque suum facere possunt
illud HORATII Sat. II. 3,

— *Potquam omnis res mea Ianum*
Ad medium fratribus est, aliena negotia curo,
Excusus propriis. — —

Etsi

b) Nomina certa sunt, quibus certa causa adscripta est, *incerta*, qui-
bus eiusmodi causa adiecta haud est. Vid. IAC. FACCIOLATI *Exerc.*
in Cic. Or. pro P. Quinctio, p. 23.

i) Praecipit scilicet lex, dass alle Bücher der Kauf und Handelsleute, so-
wohl derer, die ins grosse, als derer, die ins kleine handeln, auf dem
ersten und letzten Blatt durch einen Handelsrichter, oder in den Städten,
wo es keine Handelsrichter (consuls) giebt, durch einen Schöffen, un-
enrgeldlich ohne einige Gebühr signirt, und die Blätter durch einen
Commis paginiert und bezeichnet werden sollen.

Etsi autem haec distinctio nec falsa est, nec inanis, mihi tamen
haud omnino sufficere videtur, quippe qui cum Gallo (*DE LA
CROIX*) potius inter eos, qui dolo, qui culpa, et qui fortunae
inuria decoixerunt, distinguendum censeo. Dolosi decoctores
non modo sunt, qui nulla necessitate cogente creditorum frau-
dandorum causa lapsum bonorum temere simulant, sed etiam
qui nullum expenfarum finem neque modum habentes sua cum
alienis abligurierunt et dilapidarunt, furiosumque rerum suarum
exitum faciunt. Culpae hic rei sunt, qui eam in rebus suis haud
adhibent diligentiam, quam quilibet frugi paterfamilias adhibe-
re solet, eoque efficiunt, vt, facultatibus ad soluenda debita
haud sufficientibus, bonis tandem cedere cogantur. In tertiam
denique classem referendi sunt, qui fortunae iniuria (eui tamen
plerumque culpa saltem leuissima accedere solet) ad incitas re-
diguntur. Hic autem saepissime Iliacos intra muros peccatur
et extra, cum fortunae iniuriis illud imputatur infortunium,
quod debitor propria sua culpa, atque, vt ita dicam, suo sibi
equo aduexit; vt ecce! si quis negotia periculi aleaeque plenis-
sima contrahit, si nimis facilis personis aut nullius aut dubiae si-
dei credit, si furtum, quod auerti debita diligentia potuisse, pati-
tur *k)*. Solent plerique bonis cedentes magnum malorum no-
minum indicem proferre, quae, si curatus examinarentur, ma-
ximam fere partem non fortunae, sed propriae decoctorum cul-
pae accepta ferenda essent. Sollemnisi hic hominum mos est,
vt, quod ipsi peccarunt, fortunae aut aliis imputent. Quare
hoc mercatoribus parum intelligentibus ex alta quasi turri in-
culcandum est, vt (quod in *I. 2. C. de furt. aiunt IMP.*) cautius
discant negotiari, nec, quod ipsi admiserunt, fortunae iniuriis
imputent; atque, verbo vt dicam, maximopere caendum est, ne
culpan stultitiamque hominum cum casu fortuito (i. e. euēntu
diui-

k) Facit hoc *I. 52. §. 3. D. pto soc.* itemque *I. 23. D. de R. I. Conf.*
FRANC. BROEI Expos. Inst. Iuslin. p. 699. et 105. AVERANII In-
terpr. II. 26.

diuina prouidentia profecto, cui resisti non potest,) confundamus.

Porro mercatoribus persuadendum est hoc, ut primum res suas retrolabi et satisficerent sentiunt, hoc est, simulac plus debent, quam in bonis eorum reapse est, (hoc autem quilibet mercator nosse necessario debet, et, si in scribendis libris suis recte versatur, facile potest,) facultates, quas possident, iam non amplius ad se, sed ad creditores suos pertinere, adeoque nefas esse, quidquam fuscipere, quod in horum detrimentum vergere possit. Nae enim nullus rerum ad se non amplius pertinentium verus est dominus, neque adeo super iis pro arbitrio disponere, multoque minus libidine aut alea eas absumere, aut plane auertere futurosque in vsum apud amicos amicasue abscondere iure potest. Quid? quod, si ex vero rem aestimes, qui ad incitas ita redactus nihilominus ex bonis, quorum non amplius dominus, sed possessio tantum est, alimenta sumit, iam non suis, sed creditorum sumtibus alitur. Vnde consequitur, ut qui boni viri officio recte fungi velit, simul atque plus debet, quam facultates ferunt, creditoribus suis id indicare, ipsisque bona omnia ultra cedere teneatur.

Sed instas et ais, fieri tamen posse, ut debitor hisce eluctetur malis eiusque res, opera ac diligentia ab ipso adhibenda, de-nuo efflorescant. Ego vero magnopere vereor, ne haec spes, quam debitores obaerati fere omnes (fundamentum tanquam in aqua ponentes) concipere solent, si non semper, certe plerunque vana sit et inanis, multisque debitoris aequa ac creditorum incommodis ansam praebeat. Quid enim quaeso faciet, qui eiusmodi spe miserum lactauerit animum? Nonne versuram nouaque nomina faciet? nonne cum vsum consuetablit iisque debitorum summam indies augabit? nonne negotiis periculi aleaque plenissimis se immiscebit? Et quis denique horum omnium finis erit, nisi hic, ut paucos post annos, aut fortasse menses, parum aut nihil ex bonis, vnde creditoribus antea satisficeri poterat, superfit, siveque, postquam spes vana decollauit, debitor pa-

B

riter

riter ac creditores maximum inde detrimentum cipient? Neque, vt nunc sunt tempora, (i. e. dissoluta et infesta virtutibus) facile est ad credendum, fore vt debitor, qui semel consuevit

Et strepitu et facie maioris viuere censur,
gulae temperet sumtumque minuat, vt potius obaerati debitores plerique, ne sidem apud alios perdant, Croesos simulent, genio indulgent et bacchanalia viuant.

Quae cum ita sint, auctor est DE LA CROIX, vt probe distinguantur gradus culpae, aut doli a debitore admitti, nec, qui creditoribus suis non nisi 50. loco centum aut minus praestare possint, iis aequentur, qui 60. 70. 80. aut 90. loco centum solvere queant. Certe nulli creditori perinde erit, quantum debitor ipsi reliquum esse velit, et seu 50. seu 90. loco centum accipiat.

Facile quidem video, nequaquam haec ad palatum fore iis, qui persuasum habent, fas esse debitori, creditorum impensis viuere, honorumque cessionem quam diutissime, et si fieri queat, vsque ad extremum vitae halitum, immo post mortem, differre, modo viuus spiransque versuras subinde faciendo, creditoresue frustroaut eludendo, vitam vt cunque tolerare possit. Ego vero persuassimus sum, hoc viri boni officio nequaquam congruere, neque adeo improbis debitoribus indulgendum esse, vt creditorum opes consumant, tandemque nihil illis reliquum esse patientur. Quod si nec mihi credis, nec Gallo, DE LA CROIX, qui ea de re l. c. disertissime disputauit, credes, spero, CICERONI Catilinar. II. 5. Res eos iam pridem, fides deficeret nuper coepit: eadem tamen illa, quae erat in abundantia libido permanet, et cap. 8. Tu agris, tu aedificis, tu argento, tu familio, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis, et dubites aliquid de possessione detrahere, acquirere ad fidem? — Quod si maiori facere voluissem, neque (id quod sultissimum est) certare cum usuris fructibus (i. e. ex fructibus) praediorum, et locupletioribus his et melioribus ciuibus uteremur.

In

107

In moratoriis concedendis multis vtique cautionibus summaque parsimonia opus esse, res ipsa loquitur. Nae enim solutione impedita fides concidat necesse est, nemoque facile mutuum alteri dabit, si ipsi perpetuo timendum sit, ne morosus debitor emendatis induciis exactioni nominis remoram faciat. Ilicet, aetum de fide est, vbi qualibet occasione vetus illa repetenda querela est: *Si quis quid reddit, magna habenda est gratia; verissimeque cic. de Off. II. 24.* Nulla res vehementius remp. continet, quam fides, quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum.

Super quaestione, an creditoribus, ut super obaerati debitoris sorte quidquam decernant, permittendum sit, haud consentiunt Gallus et Italus. Hic quidem quaestione propositam ideo negat, quod sic decolorum flagitia haud raro maneant impunita, interdum autem creditores super sorte debitoris haud dolosi, sed infeliciis, duriter immifericorditerque decernant. Ego vero cum Gallo (DE LA CROIX) paulo alter sentio. Quodsi enim creditores sponte vnamique consensu ad euitandas litis molestias debitori suo partem debiti remittere velint, ego quidem haud video, cur hoc eis permittendum non sit. Neque dolus a debitore forte admissus eiusmodi delictum est, quod creditoribus non modo non desiderantibus, sed etiam deprecantibus, poenis necessario coerceri debeat; ut taceam, haud verosimile esse, credidores, dolo debitoris insigni elucente, tam facilis fore, ut eum non modo omni poena immunem esse velint, sed ipsi etiam debita eorumque partem magno animo remittant. Si creditores haud omnes consentiant, debitorque beneficio pacti plurium vti velit, tunc vtique dissentientes (ne fraudibus locus fiat) non aliter, ac ope iudicis, ut pacto plurium subscrybant, cogendos esse centeo. Evidem scio, iure romano patrum plurium fauore maxime heredum, eorumque, quorum intererat, hereditatem adiri, introductum, et recentioribus demum temporibus ab interpretibus, rationem iuris haud satis perspicientibus, latius extensus esse, qua de re iam dixi in diss. de cessione bonorum

rum contumeliosa, p. 35. Quodsi autem, vt apud nos constitutum est, dolosi decoctores beneficii ex pacto plurium oriundi plane h[ab]undantur, et reliquorum creditores non nisi omnibus recisis fraudibus, interpositoque iudicis decreto, pacto plurium subscribere cogantur, tunc quidem huic utique locus relinquendus videtur. Etsi enim alteri per alterum iniqua inferri non debet conditio, nec pacta debitorum inter se ius creditorum tollere aut minuere possunt, nec cum aliquibus creditoribus facta, licet maior illorum pars ea probet, aliis officiunt; etsi etiam regulariter in causis priuatissimis, quod maior pars egit, ad vniuersos non refertur; itemque in rebus communibus prohibentis melior est conditio; haud immerito tamen publica utilitas praefertur priuatae, nec aequum est, vt unius aut alterius creditoris contumacia durius ceteros impedit, quominus partem debitorum remittendo sufflamina et molestias litis diurnae et haud raro inanis euitare possint, qua de re nemo, cui processus, vt vocant, conturbationis ambages incommodaque haud plane incognita sunt, facile dubitabit.

Neque vero hoc latere debet mercatores, omnesque, aliena qui utuntur pecunia, se, etsi bonis cedendo beneficii ex pacto plurium prouentientis in praesenti participes siant, nequaquam tamen ideo aere alieno penitus exsolvi, sed, si quando ad meliorem peruererint fortunam, ad reliqua soluenda obligatos esse, quod quidem non modo per se iustum et aequum *l*), sed apud nos

D Quo loco mihi in mentem venit memorabilis, quod nuper ex Anglia nunciabatur, exempli. Scilicet quidam *Guil. Hall*, qui virginis ante annos bonis cesserat, suisque creditoribus non nisi partem debitorum soluerat, iam, etsi legibus patriis ad reliqua soluenda haud obligebatur, creditores suos certiores reddebat, se ad meliorem pervenisse fortunam, cosque amice inuitabat, vt certo die in celebri aliquo diuersorio conuenirent, ibique splendido excepti epulo reliquam nominum suorum partem vna cum visuris acciperent. *En famulum pulchrum et admirandum!* quale vix integrum seculo iterum obvenierit. Nae rari ciusmodi sunt debitores;

nume-

nos etiam *Mand. d. d. 20. Dec. 1766. §. 17.* disertis verbis fanci-tum est. Nae, qui hoc animo secum perpenderit, difficilus ad flebile illud bonorum cessionis beneficium confugiet, peri-eulogue amittendae fidei sepe exponet.

Cum, debitore obaerato foro cedente, plerumque vxor eius maximam bonorum partem dotis nomine petat, et haud raro accidat, vt eadem ope collusionis voti sui magno cum creditorum incommodo particeps fiat, haud inepte suadet **FILAN-**
GIERIVS, vt ne debitoris vxori quidquam dotis nomine petere permittatur, nisi sub initium matrimonii pignus eam in rem sibi constitui curauerit, quo facto non modo creditores illico, quan-ta vxoris sit dos, certiores fieri, sed etiam post bonorum cesso-nem dotis probandae ambages euitari possunt. Quilibet autem sua sponte facile intelligit, pignus a iudice prius haud consti-tuendum esse, quam vxor de dote illata satis fidem fecerit. Fac etiam, per collusionem maiorem dotis suminam ostentari, quam vxor reapse ad maritum attulit, parum tamē aut nihil inde in-commodi ad creditores redundabit. Etenim res pignori suppo-sita (pro magnitudine scilicet dotis) statim ab initio in bonis debitoris haud amplius computabitur, neque adeo creditores de bonorum deminutione postea queri iure poterunt. Cete-rum, quod de dote dixit **FILANGIERIVS**, idem ad ea etiam bona, quae constante matrimonio ab uxore ad maritum afferuntur, fa-cile transferri, eademque cautione applicari poterit. Certe con-siliū huius utilitas tam clara ac evidens est, vt non possit non omnibus, qui de his rebus iudicare queunt, maximopere probari.

Quod ad poenas decoctoribus infligendas attinet, multum interest, dolone an culpa quis decoxerit. A poenis capitalibus regulariter hic abstinentum esse, non modo Gallus monet (**DE LA CROIX**); sed dudum etiam monuerunt alii, idque ideo, quod

B 3

poe-

*numerus vix est totidem, quoz
Thebarum portae, vel dinitis ofta Nili,*

poenae nimis severae, quippe quas non modo iudex, sed creditores etiam plerumque abhorrent, impunitatem magis praestare, quam facinorosos deterrere solent. Quando autem cum Gallus, tum Italus dolosos decoctores stigmate in fronte notandos censet, equidem ipsis adstipulari haud possum, non tam ob l. 17. C. de poen. vbi CONSTANTINVS M.

Si quis in metallum fuerit pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minime in eius facie scribatur; cum et in manibus et in suris possit poena damnationis una inscriptione comprehendti; quo facies, quae ad similitudinem pulchritudinis coelestis est figurata, minime maculetur,

sed quia haec poena non modo morte fere ipsa durior mihi videtur, sed etiam is, cuius fronti stigma iniustum est, quoad viixerit, honestorum virorum confortio eximitur, et quominus in posterum vitam honeste tolerare queat, quodammodo impeditur. Quis enim quaeso eiusmodi hominem non abhorrebit? quis non oculos a facie eius stigmate deformata auertet? quis non societatem illius, quacunque poterit ratione, defugiet?

Ego vero vestra. Lectores, pace aliud consilium, non modo lenius, sed, ni fallor, rei etiam conuenientius suppeditabo. Docet scilicet rerum gestarum memoria, stigmatibus a CONSTANTINO M. aliquatenus prohibitis collaria substituta, iisque aut crimen inscriptum, aut laminas cum inscriptionibus appensa fuisse, ceu scriptores infra laudati, quantum satis est, ostenderunt m). Quidni igitur eiusmodi collariis uti potius, quam ho-

m) Conf. IAC. SPON. *Miscellan. erudit. antiquis*, p. 300. et 10. CHRIST. AMADVTII *Comm. ad Leg. Nozelli. Anedot. Imp. Theodos. Iun. et Valentin. III. Romae* 1767. p. 158. nec non GOTTER. *MASCOVII diss. de stigmate faciei humanae non invenendo*, in eius Opus. *Lips. 1776.* nostra cura editis, no. 3, et quos ibid. laudauimus in not. p. 100

hominum facies horrendis stigmatibus deformare, malumus? Haec quidem nunquam eradi delerique possunt, illis contra reus, si ad frugem redit, rursus liberari, inque statum pristinum restitu potest; et si non hominis, certe humanitatis ratio habenda est, ut CICERO ait pro Quinct. c. 31.

Quodsi contra decotiori non dolus, sed culpa tantum impunitari possit, tunc quidem, pro diuerso huius gradu, decotior aut in carcere aut ergastulo (certum in tempus) includendus, et ne dies otiosus transigit, ad operas praefandas compellendus est.

Quaecunque autem debitori infligenda sit poena, si finem propositum obtainere volumus, velociter, nec multo demum post admissum tempore, a reo expetenda est. Nae enim verissime dixit, nescio quis, poenas feras haud absimiles esse fero medicamento, quod ei, qui ex morbo iam conualuit, intempestive et non nisi ab imperito medico propinatur. Atque hinc recte poenarum velocitatem generatim desiderat BECCARIA de delict. et poen. inf.

Ceterum laudat quidem DE LA CROIX institutum illud, quod Genevae obtinet, (certe olim obtinuit) quo decotiorum liberi ab officiis muneribusque publicis, donec aës alienum parentum soluerint, excluduntur, et de quo iam monui in all. diff. p. 26. Enimuero animo meo obuersatur l. 22. C. de poen. vbi IMPF.

Sancimus, ibi esse poenam, vbi et noxia est; propinquos, notos, familiares procul a calunnia submouemus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim adfinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos teneant autores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum.

et

et nonne iam BION, qui in septem sapientibus numeratur, dixit, ob delicta parentum in liberos animaduertere haud minus ridiculum esse, quam si quis medicus ob patris aut aui morbum filio nepotue medicamentum daret? Haud quidem me fugit, aliud esse, poenam alicui infligere, aliud eum tantummodo quibusdam emolumentis, quorum alias particeps fieri potuisset, priuare, eaque ratione institutum illud Geneuenium defendi quodammodo posse. Nihilo autem minus durissimum esse existimio, decoctorum liberos, qui nihil deliquerunt, ob culpam parentum a rep. arcere, aut necessitatem, debita paterna solvendi, ipsis imponere, sicutque multis eosdem miseriis immergere, cum, si absque his esset, reip. sortasse utilitatem afferre maximam, damnunque a parentibus datum alia ratione pensare et resarcire queant. Bene SENECA de Ira II. 34. Ne irascamur inimicorum liberis —. Nihil est iniquius, quam aliquem heredem paterni odii fieri.

Neque vero in decoctores tantum ipsos animaduertendum est, sed receptatores etiam, quique flagitorum illorum vla ratione se participes fecerunt, feuere coercendi sunt. Bene
P. SYRVS;

Socius fit culpe, qui nocentem subleuat,
nec aliter PHOCYLIDES v. 129.

Αμφότεροι κλῶπες, καὶ ὁ δεξάμενος καὶ ὁ οὐλέψας.
Vtique fures sunt, et qui recipit, et qui furatur.

In eandem sententiam MARCIANVS in l. I. D. de receptat. Pessimum genus est receptatorum, sine quibus nemo latere diu potest; indeque est, quod in plerisque delictis receptatores, certe ii, qui ante perpetrationem delicti cum facinorosis societatem contraxerunt, eadem fere poena, qua reos principales, coerceri leges iubent, qua de re in diff. de receptatoribus, Aduersior. Lib.

Lib. II. adiecia vberius diximus. Sane multis decoctorum frau-
dibus careremus, nisi plerumque haberent, quorum opera ad
celanda flagitia sua, ad concinnanda falsa nomina, occultandas
que merces auersas uti commode possent. Atque hinc sapien-
ter in Mand. Sax. d. d. 20. Dec. 1766. §. 14. sanctum est;

Würde auch jemand sich gar unterstehen, einen dergleichen bö-
hasten Betrüger auf ein oder andere Weise in seinem unverant-
wortlichen Vornehmen behüflich zu seyn, oder einige ihm zu-
stehende Waaren wissentlich zu verheimlichen, ihme bey der
Flucht an die Hand zu gehen, oder auf andere Weise mit ihm
zu colludiren und sich seines Unternehmens theilhaftig zu ma-
chen, derselbe soll, wenn er auch gleich einer von des Schuldners
nächsten Anverwandten, Advocaten, Handelsdienern, Hause-
nissen, Mäcklern und dergleichen Personen wäre, summarisch
vernommen, auch wider ihn, nach Beschaffenheit derer mit unter-
laufenden durch unveruerlicher Zeugen Ausage oder sonst
gnüglich beigebrachten Umständen, mit der Special-Inquisition
verfahren, und er mit Landesverweisung, Zuchthause, oder
Vestungsbau bestrafet werden.

Denique maxime etiam iuuaret, pecunia egentibus paratam esse
occasionem, vbi, merces alias res pignori supponendo, mo-
dictis usuris mutuum sumere possent, quo praecipue montes pie-
tatis, argentariae publicae, quas bancas vulgo vocant n), simili-
aque instituta faciunt. Ita enim pecuniae indigentes nec ab
improbis foeneratoribus immodico trucidari soenore possent,
nec merces iustum infra pretium vendere cogerentur, quo qui-
dem

a) Vid. i. g. BÜSCH Abb. v. d. Banken, ihrem wesentlichen Unterschiede
u. d. Folgen desselben, in eiusd. Kl. Schriften v. d. Handlung, Lips.
1772. Bö. 3. et W. G. VANGEROW Entwurf des Wechselrechts nach d.
Grundsätzen der Preuss. Staaten, §. 26, ibique cit.

demi multorum res sensim decrescent, tandemque penitus dilabuntur.

Plura non addo, ne quis scilicet mihi vetus illud occinet:
Inuenimus, qui curua corrigeret! Quis hic est, qui emendet publicos mores?

Nunc autem indicenda sunt sollemnia inauguralia

CANDIDATI DOCTISSIMI

CHRISTIANI GOTTLLOB STARCKII

ADV. SAX. IMMATR.

qui ipse sua de vita, laudabiliter adhuc acta, his verbis exposuit.

Ego, CHRISTIANVS GOTTLLOB STARCKE, natura sum Hubertoburgi anno MDCLII, die VII Id. Sexil. patre MARTINO, tunc quidem hortorum regiorum praefecto, et matre CHRISTIANA BENEDICTA, IOANNIS CASPARI SIBERI, S. S. Theologique Doctoris, et Sacrorum in Dioecesi Herzbergenfi Antillicitis, ex IOANNA IVLIANA KVECHLERIA, filia nata maiore. Hi optimi parentes, cum tenerum pueri animum mature bonis litteris imbuivellent; me vix trium domesticis praceptoribus erudiendum tradiderunt, quorum, et in primis RVDORFI, nunc NI SCHWIZII sacra facientes, in me merita gratissima mente, dum vivam, recordabor. Extincto bello isto sexennali, quod, uti toti fere Saxoniae, ita praevertum estis hortisque magnificeis in villa regia Hubertina exitio fuerat, cum insigilli Divi FRIDERICI CHRISTIANI, Serenissimi Saxonie Electoris, Optimi Principis, clementia pater meus rei salinarice Misenensi praeponeretur, ille ratus id, quod erat, unius scilicet praceptoris vires septem liberorum institutioni vix sufficerent, anno MDCLXV, a Protosynedrio Dresdensi precibus impetravit, et mihi in acroteriis Afranei, quod Misenae floret, una cum alumnis Electoralibus praelectionibus quidem publicis interesse, vitium autem et habitationem apud parentes retinere licet. In hac scho-

schola Electorali praecoptores habui HOERIVM, WEISIVM, CLEEMANNVM, SCHREGERVM et KLIMMIVM, qui praeter SCHREGERVM, cuius singulari disciplina morumque censura regerat, et quem diu adhuc Afraneae iuentuti docendo prodeſſe diuina prouidentia iubat, iam omnes fatis ceſſerunt. Quinquennio et ſemijri ibi peracto, anno MDCCCLXX. Lipſiam me contuli, ubi a Belio, tum falso Academiae tenente, ciuibis academicis adſcriptus, SEYDLITZIVM, GARIVM et PLATNERVM in Philosophicis, ERNESTIVM utrumque, CLODIVM, MORVM, WOLFFIVM et HEBENSTREITIVM in Philologicis et antiquitatis, ERNESTIVM ſeniorē, BVRSCHERVM, BOEHMIVM et WENKIVM in historicis, eundemque BOEHMIVM in iure publico, SCHOTTIVM atque SAMMETIVM in iure naturae et gentium, iterum SCHOTTIVM, CLEEMANNVM, RAVIVM, SAMMETIVM et ZOLLERVM in historia turis et iure ciuili, praeter SCHOTTIVM etiam HOMMELIVM in iure canonico et germanico, SEGERVM et RAVIVM in clientelari, nec non PVETTMANNVM et ZOLLERVM in criminali, in iurisprudentia formularia BRENNINGIVM et ZOLLERVM, in via ac ratione ex commentariis iudicialibus relationes faciendi praeter ZOLLERVM in primis HOMMELIVM, in arte denique disputandi WOLLIVM, et quidem maxima ex parte cum prenobilissimo SCHACHERO, cui repetendarum praefectionum cauſa comes datus eram, ſecutus sum. Finito cursu academico anno MDCCCLXXV. diſertationem ad l. 31. D. depos. praefide Illuftri RAVIO publice defenſa, et paulo poſt ſtudio mea Illuftri Iectorum Ordini in examine, quod vocant, pro candidatura aequimanda ſubieci. Receptus deinde SERENISSIMI ELECTORIS gratia anno MDCCCLXXVII. in numerum aduocatorum Saxoniorum, et ab Ampliflissimo Senatu Lipſiensi notariatus munere ornatus, in foris Lipſiensibus cauſas orare coepi. Anno MDCCCLXXX. denuo Illuftrum Iectorum Ordinem adiui, ut mihi ſcilicet ad ſummos in iure honores adſpiranti viam eos conſequendi aperiret, quibus preeclibus, ſuperato examine, quod rigorofum dicitur, beneolete annuit.

Postquam igitur iam quatuor fere abhinc annis in examine, quod vocant, rigoroso Collegii nostri expectationi omni ex parte satisfecit, nunc tandem ei a laboribus forensibus, quibus adhuc impeditus fuit, tantum otii, ut copta perficere possit, suppetit. Ut igitur publice etiam de eius doctrina atque eruditione constet, proximo die Mercurii in auditorio Ictorum hora a meridie II. l. 5. C. de malef. et mathem. interpretabitur, deinde autem a. d. XXXI. huius mensis hora IX. eodem loco dissertationem inauguralem de lubrico indiciorum, me praeside, publice defendet, quo facto Vir Illustr. Excellentiss. atque Consultiss. Dom. AVG. FRID. SCHOTTVS, Tit. de V. S. et R. I. P. P. O. Supremae in Provincia Curiae et Ordinis Ictor. Lips. Affor, Fautor Collegaque honoratissimus, cui ex decreto Ordinis nostri promotoris munus delegauit, summos in iure honores, cum omnibus priuilegiis ac iuribus, huic dignitati adnexis, sola spe ad fessionem in Collegio nostro adipirandi excepta, ipsi tribuet atque concedet.

Quam sollemnitatem ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PRINCIPES CELSISIMI, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, TIVES denique GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE praesentia sua honorifica splendidiorem reddere velint, enixissime rogamus. Sc. Lips. a. d. XXVI. Mart. MDCCCLXXXV.



Leipzig, Diss., 1785 R-2

X 241 7854



PROCANCELLARIVS

IOS. LVD. ERN. PVTTMANNVS

I. V. D. INST. PROF. ORD. ET COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

CHRISTIANI GOTTLLOB STARCKII

ADV. SAX. IMMATR

A. D. XXXI. MARTII MDCCCLXXXV

PUBLICE CELEBRANDA

INDICIT

